



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ianvarii Et Febrvarii

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10258

XXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77365)

VITA S. PIPINI, PRIMI DVCIS BRABAN-
tia, ex Codice MS. grauitur, vt apparet, conscripta.



Venerabilis Pipinus Dux Brabantiae ex patre Carolomanno 21. FEBRVA. Parentes Pipini. principe & matre Emegarde, fuit Maior domus Fraciae sub Clotario rege Francorum & Dagoberto eius filio. Qua dignitate, parum a dominatione ac sublimitate regia differente, praeditus, omnia prudenti dispositione ordinabat: praestabatque tam in bello fortitudine, quam iustitia in pace. Erat erga regem fidei seruantissimus, erga populum vero veri- Iustitia eius. tatis tenacissimus: atque in discernenda utrorumque causa firmissimo animi iudicio persistens, neque munera populi ad subuertendum ius regum respiciebat, nec gratiam regis ad obruendam populi iustitiam attendebat. Siquidem regem

Deum regi homini praeferebat, cuius mandato prohibitum nouerat, vultum potentis Leuit. 19. honorare, vel personam pauperis in iudicio attendere. Tam ergo, quae plebis erant, plebi deferebat: quam quae regis, regi restituebat. Studebat ad normam diuinae iustitiae omnes iudiciorum suorum sententias dirigere.

Quae res vel maximè hinc arguitur, quoniam beatum Arnulphum pontificem Me- Arnulphus Metensis episcopus. tensium, quem in timore ac dilectione Dei nouerat excellentem, omnium consiliorum vel negociorum suorum socium assumebat. Hoc adiutore fretus, aequitatis freno cohibebat, si quando neglecto iure, potestate regia abuti voluisset. Defuncto quoque praedicto viro Dei, sanctum Cunibertum, antistitem Coloniensium, pari sanctitatis fama illustrem, curabat in hac negociorum administratione participem habere. Perperdere ex hoc possumus, quo aequitatis ardore succensus fuerit, qui tam circumspectos consiliarios, tamque incorruptos arbitros elegit. Quia enim prauitatem execrans, rectis & honestis studiis intètissimus extitit, semper vsus est in exercitio operis sanctorum virorum consilij, & eorum fretus meritis. Beatus igitur Pipinus primò regum Austrasiae, postmodum ipsius Austrasiae inferioris praepositus & dux gloriosus, erat lingua & natione Teutonicus. Decus ergo & gloria Teutonicorum, speculum & norma Brabantinorum, via & exemplar morum, beatus iste pater patrum Pipinus, egregius dux, postquam domum regiam & inferiorem Austrasiam, suae fidei commissam, strenuissimè gubernasset, vocatus est ad patriam sine fine duraturam, recepturus suae fidelitatis mercedem condignam. Cuius mors tanto dolore totam Austrasiam perculit, vt planctui eius planctus regum nequaquam conferri possit. Moris magno sui relicto desiderio.

Fuerat namque, probatissimae vitae ac purissimae famae, sapientiae domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controuersiarum finis, munimentum patriae, curiae decus, via ducum, & disciplina regum. Qui profecto si exemplo sancti Iob laudes suas praedicare voluisset, ex persona Sapientiae, quae ipsum vberimè repleuerat, verissimè & absque iactantiae vitio dicere potuisset. Per me reges regnant, & conditores legum iusta discernunt. Huius autem beati viri corpus eo honore, quo decuit, in ciuitate sua Landis conditum est, ibique diu iacuit, donec diuino instinctu viri fideles illud ad locum eminentiorem & celebriorem transfererent, non patientes thesaurum tam preciosum humilissimi viculi loculo occultari, statuantes praeclearam lucernam non sub modio, sed super candelabrum reponendam, vt luceat meritis & signis omnibus, qui in domo Dei sunt, vt cernere datur vsque in praesentem diem. Vt autem ostenderetur, quanti meriti esset apud Deum, tale fertur in die translationis eius contigisse miraculum. Nam cum veneranda eius ossa de tumulo vbi dudum reposita erant, leuaretur, vt ad ciuitatem Niuellensem, locum videlicet eius reuerentiae competentiorem, transferrentur, cum copiosis id actum est cereis, sicut decuit, ardentibus. Cumque de Landis vsque Niuellam populus fidelis per tantum terrae spatium venerandas reliquias cum luminaribus prosequeretur, & aura esset multum ventosa, ne vnus quidem cereorum vi extinguis ventorum extitisset perhibetur, quousque peruentum est ad locum optatum. Ipsius itaque, sacrae reliquiae collocatae sunt, vt decuit, in capsa decenti iuxta feretrum filiae suae sanctae Gertrudis, quae singulis annis in diebus Rogationum circumferuntur à Clero, ad laudem Domini nostri Iesu Christi, cui est laus & gloria in secula seculorum, Amen. Trasferuntur eius reliquiae, & cerei ardentia res à vento non extinguuntur.